

RESTAT docendum quænam sit vis huius spiritus, & quo pacto illam exerceat: quæ quidem in re receptum est, & rectè, omnes actiones, quæ in corpore animalium fiunt, hoc spiritu egere: nimirum cum ille sit calidum innatum influens, sine quo nulla operatio exerceri potest. Nam in timore videmus externas partes ineptas reddi ad agendum: id quod alia ratione sanè non fit, nisi quod huiusmodi spiritus, abiens ad cor externa loca deserit: ex quo quidem patet, requiri hunc spiritum ad actiones obeundas, sed quid ille conferat, & quo modo vim suam exerceat, non est perinde facile docere. Qui enim spiritus natura, & forma distictos ponunt, volunt illos facultatum esse vehicula, prodireque vna cum illis ab ipsis principijs, & ferri per instrumenta, quæ etiam enascuntur ab illis fontibus, in vniuersas corporis partes. Itaque animalium spiritum sensus, & motus authorem esse, quando ille penetrat una cum facultate per nervos, argumento quod putent, sensu & motu priuari illas partes, quæ nervos habent obstructos aut aliter ita affectos, ut nequeat per illos spiritus transire, & secum facultatem, quæ præbet sensum & motum allatam immittere: quorum opinio recipienda non est, quis enim animo concipere possit, per nervos densa corpora, dura & solida, substantiam aliquam promptè subire, vndiquaque penetrare, subito accedere, & recedere posse? præsertim quod hunc spiritum, nunc tenuem, nunc crassum, & nebulosum esse volunt, aiuntque: suapte natura sursum ferri, ad eò ut ad infimas corporis partes, quæ mouentur, & sentiunt, & quò peruenit vis ipsa, non nisi vi quadam descendere sit aptus. Non sentiri, aut moueri posse partes quæ nervos habent vulneratos, aut obstructos vel constrictos, verissimum id quidem est, at id non probat, hæc contingere, quod occlusa sit uia spiritui: sed quod ipsi facultati allatum sit impedimentum ob instrumentum læsum: est enim illa apta, & nata exercere suam vim per instrumenta accommodata: quæ cum labefactantur cogitur etiam illa sua opere frustrata otiosi. Id apparet in alijs facultatibus, quæ omnes sana sua instrumenta desiderant: ut mirum quoque non sit, si illa quæ sensum, & motum præbet, postulet nervos expeditos, & liberos, per quos vis immittatur exerceaturque. Quod si motus voluntarius, & sensus prorsus desiderant spirituum immisionem in nervorum substantiam, cur non idem docent fieri in motu arteriarum? non posse inquam moueri arterias, nisi per tunicas, illarumque substantiam feratur vitalis spiritus: cum tamen nihil huiusmodi tradant, sed solùm in cavitatibus ipsis arteriarum cum contineri velint. At hic spiritus non author est motus, quem exercent arterie, sed operationum, quæ in alijs partibus obeuntur. Ut igitur arterie vim quæ sumunt à corde exercent absque spiritus immisione, sic par est existimatione, sine spiritu aliquo nervos vim capere à suo fonte, alijsque partibus coicere. Addo quod si natura voluisset per nervos transire aliquod corpus, utique cavitatè ut venis, & arterijs illis dedisset, aptam ad suscipiendam, & continendam huiusmodi substantiam: mirum enim esset, si partem densam, & solidam illa fabricaret, quæ vellet esse viam spirituum: sed cur (quæso) non fiunt in nervis frequentes conuulsiones, ubi huiusmodi spiritus ob crassitiam, & copiam heret in illis? præterea si animalis facultas spiritu eget per nervos transmissio, quo modo fient opera principum facultatum? quas in cerebro absque nervis obiri credimus non tamen sine spiritu aliquo. Igitur si spiritus quibusdam facultatibus suam præstant vim alio modo, quam quod penetrent per solida instrumenta, cur idem in reliquis non concedimus fieri posse? Urgent quoque hanc opinionem nonnulla argumenta, quæ superius adduximus ad refellendam spirituum multitudinem: nam si proprius spiritus requiritur in omni actione, & ille fertur per venas, arterias, & nervos, nonne ob vasorum, & instrumentorum vicinitatem miscebuntur, & confundentur inter se hi spiritus? reddeturque quilibet illorum ad sua munera ob mixturem aliorum ineptus? Sunt igitur nugæ quæ dicuntur de delatione facultatum beneficio spirituum, quæ quidem etiam Galenus (ut antea commemorauimus) aperte testatur animalem facultatem sine substantia aliqua vniuerso corpori communicari, non secus atque solis splendorem, qui in terram demittitur, in alijsque superiora elementa spargitur absque villo corpore, quod ille secum aduehat. Quod si spiritus à corde per arterias fertur, & distribuitur per vniuersum corpus, non tamen propterea credendum est illum esse vehiculum alicuius facultatis: quandoquidem ut supra & alibi euidenter ostendimus, nulla à corde emanat vis in alias partes, præterquam in arterias pulsandi facultas: quam quidem recipi sine aliquo spiritu paulò antea diximus, & ex eo agnoscimus, quod huiusmodi vis in substantia & corpore arteriarum sit, spiritus autem in illarum cavitatè tanquam in canali quodam contineatur. Putamus autem nos non alia ratione conferre hunc spiritum vniuersis operationibus corporis, quam quod suo calore excitet insitum singulis membris calorem, & ei (ut aiunt philosophi) actum det & perfectionem: hunc enim suapte natura inhabilem ad agendum, & uoluntati contineri in partibus, antea ex Galeno ostendimus. Influyente igitur calore à corde, hic qui insitutus est, excitatur, & vniuersæ facultates, tum congenitæ partibus, aut quæ aliunde immittuntur, ubi ualent instrumenta propria, & adest materia ubi ea requiritur, & aliæ adsunt causæ necessariae in singulis actionibus, iam mouentur, & apta fiunt ad agendum. Neque enim alia querenda est agendi ratio in hoc spiritu, quam in ipso calido nativo, cum quo idem est, aut præcipuam vim calido largitur. At si quis querat, quare ligatis nervis sensus & motus amittatur in illis membris, quæ posse vincula